



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et Abbatis Cassinensis

**Arnulfus <de Boeriis>
Bernardus <Ayglerius>**

Dilingæ, 1616

IV. De indiscreta ac periculosa pro temporalibus fratrum expositione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)

CAPITVLVM IV.

IN QVO INDI-
SCRETAM PRO-
TEMPORALIBVS FRA-
trum expositionem, pe-
riculosam osten-
dit.



IRCA aliam particu-
lam huius tertix par-
tis, quæ illam negli-
gentiam reprehен-
dit Abbatis, quâ Mo-
nachos leues, minusque probatos,
mundo indiscretè exponit. No-
tandum, quod hoc est primò contra
Coenobitarum statum. Secundò,
saluti contrarium animarum. Ter-
tiò, videtur hoc esse tribus profes-
sionis partibus derogatum.

Quod

Quod istud sit contra Cœnobi-
 tarum statum, expressè potest videri.
 Innuit enim Beatus P. Benedi-
 ctus, quod non separatiores quam
 XII. in Monasterio esse debeant,
 nec pauciores simul etiam dormi-
 ant. Et propterea ubi maior est nu-
 merus, Decanos præcipit per Abba-
 tem ordinari. Unde rectè potest
 considerari, quod cum Decanus
 debeat esse super decem, & ita est
 undecimus, & præpositus super De-
 canum, & ita est duodecimus, non
 debet esse minor numerus in Mo-
 nasterio congregatus. Præterea B.
 Benedictus iudicat Sarabaitas, nec
 appellat cœnobitas illos *qui bini aut
 terni aut certè singuli sine pastore sunt
 non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus.*
 Unde satis potes perpendere. Sed
 considera & attendas, quantum di-
 stat ille status à sanctissimis Cœno-
 bitis.

Item tales disperguntur, & lupis
 infer-

infernalis exponuntur, quorum
 est rapere, & Christi oves disper-
 gere. Vnde in Ioan. *Lupus rapit, &* *Ioan. 10*
dispergit oves. Non pro modico, ^{12.}
 vel multo, aut aliquo temporali
 lucro, illi qui sunt lapides sanctua-
 rij, maximè minus in Monasterio
 probati, per mundi plateas debe-
 rent disponi. Iſtam diſpoſitionem,
 & damnabilem expoſitionem Hie-
 remias deplorat, in Thren. dicens
Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in ca- *Thren.*
pite omnium platearum. Et nota, ^{4.16}
 quod reſpectu ſpiritualium ſunt vi-
 lia, ſicut quidem palex ſunt tempo-
 ralia vniuerſa. Vnde contempla-
 tiuos pro paleis iſtis recolligendis,
 non eſt boni paſtoris, ſed peſſimi
 pharaonis; ſicut legitur in Exodo.
Diſperſus eſt populus per omnem terram *Exod. 50*
Ægypti, ad colligendas paleas. Thomæ ^{12.}
 etiã dum extra congregationem A-
 poſtolorum fuit, ſaluator reſurgens
 non apparuit, ſed cum alijs congre-
 gatus,

Ioan. 20. gatus, sanctissimas palandas accepit manus & latus Propterea Iacob benedicturus filiis, non eos disperfit, sed etiam congregauit, dicens in Genes. *Congregamini, ut annunciem vobis quae ventura sunt in vobis diebus nouissimis.* Vnde sequitur in fine capituli: *Hac locutus est ei pater suus benedixitque singulis, benedictionibus proprijs.* Spiritus sanctus in super non elegit discipulos ab inuicem segregatos, sed venit super eos pariter congregatos: super sedentes resedit: vnanimis inflammavit: & qui in igne apparuit, ignitos in charitate feruoris fecit; vt legitur in Actibus: *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco; vsque ibi: Apparuerunt illis dispartitae linguae tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto.* *Quicula sine pastore, lupi est praeda.* Idcirco, vt est praetactum,

oues

oues congregat bonus pastor ne so-
 las inueniat dissipator sicut legitur
 in Ezech. *Visitabo oues meas, & li-* *Ezech.*
berabo eas de omnibus locis, in quibus *34.20.1*
disperse fuerant. Et in Ioanne Sal-
 uator: *Alias oues habeo, quæ non sunt* *Ioan. 10.*
ex hoc Oili. Usque ibi: *Et fiet unum* *16.*
ouile, & vnus pastor. Dispersus nam-
 que exercitus facile vincitur: quo-
 niam societate mutua non iuuatur.
 Et ideo dicitur in Ecclesiast *Va soli:* *Ecc. 4.*
quia cum ceciderit, non habet suble- *10.*
uantem se. Vnde Bernardus cui-
 dam Moniali quæ sola cupiebat ma-
 nere: Agnosco, inquit, filia, agno-
 sco, & utinam tu agnoscas serpenti-
 num virus, fraudulentum dolum, ver-
 spellis astutiam. Et si sola ouicu-
 la umbras penetras, præda vis esse
 lupo. Sed audi me filia, audi fidele
 consilium: Noli te separare à grege:
 ne quando rapiat, & non sit qui eri-
 piat.

Quod sit etiam contra illa tria
 quæ

quæ sunt in professione contenta,
 attende superius vbi agitur de illis
 tribus, & inuenies, quomodo di-
 spersio stulta, poterit esse instabili-
 tatis causa. Et qui non habet im-
 perantem, non potest se dicere obe-
 dientem. Et qui in sæculo habi-
 tans sæculariter viuit, mores veraci-
 ter non conuertit. Suaderem igitur,
 cessantibus causis & impedi-
 mentis, magis diuersas Ecclesias
 paruas vnã Conuentualem fieri;
 vel vbi non esset facile, partem cle-
 ricis deseruientibus in illis, & par-
 tem Monasterio retineri, quam vel
 minus doctos, & probatos Mona-
 chos mundanis periculis exponi;
 vel vbi pauci sunt ad hoc idonei,
 de Monasterio bonas personas ex-
 pelli: Et pro illis paleis colligen-
 dis, consilio, auxilio, &
 exemplo nu-
 dari.

*Nobilis-
 simum
 docu-
 mentum.*

C A P I -